

35. Proportō obicit : Quod Scriptura differentias temporum ipsi DEO perspicuè adscribat. Nam Apoc. i. v. 4. vocatur DEUS is, qui est, qui erat, & qui futurus est. Dan. 7. v. 13. DEUS appellatur antiquus dierum, quasi diceret, antiquissimus ille dierum, qui ut semper fuit, ita semper erit. Psal. 102. v. 28. DEO etiam anni sui, sed nunquam finiendi adsignantur. R. Scripturam sicut in rebus cæteris, ita in hac quoque captui nostro sese adtemperat, & durationem æternam, atque indivisibilem per differentias temporis, tanquam res nobis notiores proponit, licet reverà differentias ejusmodi, aut ullam Successionem Æternitas non habeat.

Th. 36. At nondum omnis difficultas est superata. Nam à nonnullis hoc obicitur : Si DEUS est æternus, sequitur, quod vel ab æterno aliquid egerit, vel quod fuerit otiosus: neutrum dici potest. E. non est æternus. Nam quod ab æterno egerit aliquid, probari nequit, quod fuerit otiosus, sine absurditate dici non potest. R. N. C. potest dari tertium, quod DEUS nihil egerit ad extra scilicet : Etenim nihil agere & otiosum esse non sunt idem, ut enim quis dicatur otiosus, requiritur, ut nihil agat, cum tamen possit & debeat aliquid agere : DEVS autem nullâ lege ad aliquid agendum ab æterno obligatus fuit, non igitur fuit otiosus, sed nihil egit ad extra, Tantum.

S. D. G.

